

Potissimus iræ fructus poenitentia. Idem. Ira cædendo, non cædendo extinguitur. FLOR. p. II Ibidem.

AUCTORES.

Joannes Busæus, in *Panario* V. eodem.
Jacobus Marchantius, in *Horto Pastorum* Tub. Sac. tr. VI.
Petrus Canisius, tom. III de *Just. Christ.* § 8.
Bernardinus Rosignol. lib. II de *Discipl. Christ. perfect.* c. XVII.
Philippus d'Outreman, in *Pædagogia Christiano*, p. I, § 7.
Jacobus Alvarez, tom. II, de *Perfect.* l. I, p. II, c. IX et X.
Cassianus, l. VIII de *Justit. venunt.*
Ludovicus Granat. in *Duce Peccatorum*, l. II, c. IX.
Josephus Langius, in *Polyanth.* V. eod.
Franciscus Petrarcha, l. I *Dial.* CVII.
Æneus Seneca, lib. de *Ira*.
Mathias Faber, con. v, VI et VII in *Dom.*
Thomas Stapletonus, text. II in *Dom.* 3 post Pent. et text. III ac VII in *Dom. Pass.*
Joseph. Mansi, in *Bibl. Morali*, tr. LIX.

JUDICIUM EXTREMUM.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est exactio rationis super vitam ab Angelis et hominibus viatoribus institutam, de qua S. Paulus ad Hebræos dixit: Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem judicium. HEBR. IX, 27. Clarus vero id ipsum alibi indicavit dicens: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. I COR. v, 10.

DIVISIO. — Dividitur in *Particulare et Universale*; illud est, quod cuique in ipso mortis articulo subeundum est, hoc est, quod in fine Mundi instituetur. Utriusque testimonium affert S. Chrysostomus, dum ait: An non uniuscujusvis consummatio est vitæ suæ terminus? Audi Paulum dicentem: Ipsi namque exacte scitis, diem Domini ut furem

in nocte, ita venturum. Non solum communis ille, sed et uniuscujusque proprius ita veniet; iste quippe illum imitatur. Est enim et iste cognatus illi. Quod enim ille simul et summam, hoc iste per partes facit. S. CHRYS. c. v, in c. I *Thessalon.*

PARTES. — Prima pars Judicii ex *Signis* antecedentibus constituitur; de quibus jam olim Deus per Prophetam Joëlem dixit: Dabo prodigia in celo et in terra, sanguinem et ignem, et vaporem fumi; sol convertetur in tenebras, luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. JOEL. XXI, 25. Sed et Christus de iisdem apud S. Lucam prædixit: Et erunt signa in sole, et luna, et stellis; et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi, nam Virtutes celorum movebuntur. LUC. XXI, 25.

Secunda pars est *Congregatio judicandorum, et Adventus Judicis*; de quibus Christus apud S. Matthæum dixit: Tunc apparebit signum Filii hominis in celo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et Majestate. Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna; et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum. MATTH. XXIV, 30. Quod autem sit signum istud, explicat S. Thomas, dum ait: Signum Crucis intelligamus, ut videant juxta Zachariam, in quem pupgerunt. Apparebit autem signum Crucis ut Judæorum invercundiam confutet; adveniet enim Christus, in Judicio, non vulnera solum sed mortem exprobratissimam ostendens. S. TH. in l. c. *Matth.* Unde S. Chrysostomus ait: Apparebit Crux sole luculentior, et non opus erit accusantibus, cum Crucem viderint. S. CHRYS. LXXXVII in *Matth.*

Tertia pars erit ipsum *Examen*, de quo iterum Christus apud S. Matthæum dixit: Cum autem venerit Filius hominis in Majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet his, qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, et possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi;

esurivi enim, et dedistis mihi manducare etc. MATTH. XX, 31.

Quarta tandem pars erit *Sententia prolatio* a Christo per illa verba: *Venite, benedicti, et discedite, maledicti*, indicata, post quam ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. De qua sententia jam olim Eliu locutus et confessus videtur, cum eam in Spiritu prævidisset: Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo. Audite auditionem in terrore vocis ejus, et sonum de ore illius procedentem. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, tonabit Deus in voce sua mirabiliter. JOB. XXXVI, 1. Cum ergo, ut idem alibi ait, vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? JOB. XXXVI.

EX S. SCRIPTURA.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. II COR. v, 10.

Dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit. ECCL. III, 16.

Et vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt; et alius liber apertus est, qui est vitæ; et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. APOC. XX, 12.

Scito, quod pro omnibus adducet te Deus in judicium. ECCL. XI, 9.

Et erit in tempore illo scrutator Jerusalem in lucernis. SOPHO. II, 14.

Nolite judicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. I COR. IV, 5.

Judicabit orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua. PS. VC, 13.

Et tunc apparebit signum Filii hominis in celo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis in nubibus caeli cum virtute multa et Majestate. MATTH. XXIV, 30. Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli. MATTH. XXVI.

Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.

Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. JOAN. V, 22.

Et præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum et mortuorum. ACT. X, 42.

Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt. JUD. 15.

Mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum. MATTH. XXIV, 31.

Omnes stabimus ante tribunal Christi. Ita unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. ROM. XIV, 31.

Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est, et scitote esse judicium. JOB. XII, 19.

Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium, pro omni errore, sive bonum, sive malum sit. ECCL. XII, 14.

Annuntiabunt caeli justitiam ejus, quoniam Deus judex est. PS. II, 6.

Præcepit nobis prædicare populo, et testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum et mortuorum. ACT. X, 42.

QUALITAS. — Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo, domus Israel, ait Dominus Deus. EZECH. XVIII, 10.

Nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis. ACT. XVII, 30.

Nunc finis super te, et immittam furem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas, et ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non pareat oculus meus super te, et non miserebor, sed vias tuas ponam super te, et abominationes tuæ in medio tui erunt. EZECH. VII, 2.

Dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli. MATTH. XXVI, 6. Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. MATTH. XIX, 28.

Viri Ninivitarum surgent in judicio cum ge-

neratione hac, et condemnabunt illam, quia penitentiam egerunt ad prædicationem Jo-
næ. LUC. II, 21.

Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducunt illos ex adverso iniquitates ipsorum. SAR. IV, 20.

Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. MATTH. XXIV, 21.

Juxta est dies Domini magnus, juxta est, et velox nimis; vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustie, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbini, dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelso. SOPHOE. I, 24.

Magnus enim dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit eum? JOEL. II, 11.

A Domino exercituum visitabitur (nempe multitudo sibi inimica) in tonitru, et commotione terræ, et voce magna turbini, et tempestatis, et flammæ ignis devorantis. ISALE, c. XXIX, 6.

Ece Dominus in igne veniet, et quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, et increpationem suam in flamma ignis, quia in igne dijudicabit. Ib. c. LXVI, 15.

Eritque in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, et expectatione, quæ supervenient universo orbi. LUC. c. XXII, 23.

Cum autem venerit Filius hominis in Majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ; et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis; et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. MATTH. c. XXV, 31.

Dominum formidabunt adversarii ejus, et super ipsos in coelis tonabit; Dominus judicabit fines terræ, et dabit imperium Regi suo, et sublimabit cornu Christi sui. II REG. c. II, 10.

Ece dies Domini veniet, crudelis, et indignationis plenus, et iræ, furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, et peccatores ejus conterendos de ea. ISALE, c. XIII, 9.

SEVERITAS. — Cum accipero tempus, ego justitias judicabo. PS. LXXIV, 2.

Dico vobis: Quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, redden-

tionem de eo in die judicii. MATTH. XVIII, 36.

In cogitationibus impii interrogatio erit. SAP. I, 9.

Si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? I. PETA. IV, 18.

ÆQUITAS. — Absit a Deo impietas, et ab Omnipotentis iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet eis. JOB. XXXIV, 10.

Judicabit orbem terrarum in justitia, et populos in æquitate. PS. XLVII, 9.

Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terris. IS. XI, 3.

Quis dicet tibi: Quid fecisti? Aut quis stabit contra judicium tuum? Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? Aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? Non enim est alius Deus, quam tu, cui est cura de omnibus, ut ostendas, quoniam non injuste judicas judicium. SAP. XII, 12.

Et vidi cælum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur fidelis et verax, et cum justitia judicat, et pugnat. APOC. XIX, 11.

STABILITAS. — Neque ultra est in potestate hominis, ut veniat in judicium ad Deum. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet? Ex quo absconderit vultum, quis est, qui contempletur eum, et super gentes, et super omnes homines? JOB. XXXIV, 23 et 29.

Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. ECCI. I, 3.

Zelus et furor viri (Christi) non parcat in die vindictæ, nec acquiescet ejusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. PROV. VI, 35.

NECESSITAS. — Propter quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret. PS. X, 13.

Non est Deus in conspectu ejus. IBID. 13. Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum, DANIEL XIII, 9.

Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore; auferuntur judicia tua a facie ejus. PS. IX, 26.

UTILITAS. — Confige timore tuo carnes

meas, a judicis enim tuis timui. PS. CXVIII, 120.

Vivet anima mea, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me. IBID. 137.

Viderunt judicia Dei insule, et timerunt, extrema terræ obstupuerunt; et appropinquaverunt, et accesserunt. IS. XLII, 5.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini; a facie Domini omnis terra. PS. XCV, 3.

LOCUS. — Congregabo omnes gentes, et deducam eos in vallem Josaphat; et discipabo ibi cum eis. JOEL. III, 2.

Consurgant, et ascendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebit, ut judicem omnes gentes in circuitu. IBID. 31.

TEMPUS. — De die autem illa, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius hominis, nisi Pater. MARC. XIII, 32.

Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. ACT. I, 7.

Et vos estote parati, quia, qui nescitis hora, Filius hominis venturus est. MATTH. XXIV, 24.

Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei! JOAN. XXV, 6.

De temporibus et momentis, Fratres, non indigetis, ut scribamus vobis; ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. I. THESS. V, 4.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Attende, quam cito veniet dies ultima. Præsentaberis ante tremendum Judicem, accusaberis multis et magnis offensis, non uno, aut paucis, sed innumeris criminibus, non dubiis, sed certis, non brevi accusatione, sed tam longa, quam longa est tota vita tua, non uno accusatore, sed tot, quot sunt delicta tua. Ipse Judex erit districtus accusator tuus. Omnes etiam Spiritus boni et mali coram Deo te accusabunt; boni, utque Deo debent æquitatem; mali, quia tuam servant iniquitatem. Tot judicibus et populis adstabis, quot præcesserunt te in opere bono. Tot argumentibus confunderis, quot tibi præbuerunt bene vivendi exemplum. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, et cunctis agminibus patebunt universa scelera tua. Multa vero peccata tunc pronent ex improvviso, quasi ex insidiis, quæ modo non vides, et forsitan plura

et terribiora, quam sint, quæ nunc vides. S. BERN. XII. in. dom. c. XXII.

A dextris erunt peccata accusantia, a sinistris infinita Demonia, subitus horrendum chaos inferni, desuper iratus Judex, foris mundus ardens, intus conscientia urens, ibi vix justus salvabitur. Heu! miser peccator sic deprehensus quo fugies? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. S. ANS. de Simil. mundi.

Quid tam pavendum, quam judicandum adstare illi tam terrifico tribunalis, et incertam adhuc expectare sub tam districto Judice sententiam? S. BERN. in Ps. XC.

Time, o homo, quod in terribili judicio ei presentandus es, in cujus manus horrendum est incidere, et ab eo examinandus, quem nihil latet! Idem, s. de Prim. med.

In illo die nihil est, quod respondeamus, ubi cælum, terra, aer, aqua, et totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum; et si omnia taceant, ipsæ cogitationes nostræ, et ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros, nos ante Deum accusantes. S. CARYS. in c. XXIV. Matth.

Quid judicii tempore facturi sumus, quando contra crucifixi Domini livores nostro peccatorum nostrorum, et maculæ libidinum preferentur? Quo vultu respiciet redemptionis nostræ perditionem nostram? Tanto graviora erunt nostra delicta, quanto majora se ostenderint divina beneficia. CESAR. h. XXV.

Qua fiducia stabit desertor ante Regem suum, vulneratus ante Medicum suum, perditus ante pretium suum? Unde misericordiam petiturus est, primum de misericordia contemptu judicandus? EUSEB. EXIST. hom. II, de Synb.

In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet Mundi dies novissimus, quoniam qualis in die isto moritur, talis in die isto judicabitur. S. AUG. ad Diosc.

Quid in Babylone tutum, si in Jerusalem manet scrutinium? Si justus vix salvabitur, peccator ubi parebit? Quid facient tabula, quando tremant columna? S. BERN. s. IV, in Cant. et S. GREG. I. XVII, in Joon. c. XIX.

Non confuse, aut summam, ut indigeste peccata nostra cerentur, sed singula per partes suas, ut sese habent, velut in pictura noscentur. Exempli causa, quomodo ad patrandum quisque adulterium prope-

rans e lecto surrexit; quibus passibus incedens usus est; quo motu corporis, lentiore, an concitatore; quem habitum, dum procederetur, assumpsit; et ex qua parte irumpens uxorem alienam violavit; quo item ordine huic mulier ad nefarium opus se substravit. Hæc, inquam, omnia velut in tabula per partes diligenter expressa cernentur. Nec opus tantum externum, sed et intima cogitationes. S. BASIL. in lib. *de Vera virg.*

Majus tormentum malis erit, furorem vultus divini tolerare, quam cruciatus infernales perpeti. S. AUG. s. cxx de Temp.

Quot tribulationes, quot infirmitates patitur, tot stillas de Dei judicio sentimus. Si ergo tanta est illa, quanta erit abyssus multa? HUG. CARD. in c. xvi Joan.

Accusator quoque erit mundus; merito namque accusator erit, quia offenso Creatore offenditur totus mundus. S. LAUR. JUST. l. IV de Lign. vit.

Hi sunt libri infallibiles et veri, quos nemo potest rejicere. Ipsa enim cujusque conscientia reatus sui testimonium palam omnibus exhibebit. Ita ad amissum ibi discernentur non solum exteriores actus et opera, sed radices quoque operum, intentiones et voluntates, meritum quoque et demeritorum cause, intentionumque et desideriorum et fines, et circumstantia, ut vix ulla reperiat pura justitia, quæ non auxilio gratiæ et misericordiæ egeat roborari. S. THOM. VILL. conc. II, in Dom. 4, Adv.

Tanto amplius se animus in cogitatione dilatat, quanto illud esse terribile, quod imminet, pensat; et in diversa mens rapitur quando modo mala, quæ egit, modo bona, quæ agere neglexit; modo reprehensibilia, in quibus est; modo recta, quæ sibi adhuc desse conspicit, sollicito pavore perpendit. S. GREG. l. XIV Mor. c. 1.

Sæpe electis etiam volentibus in cogitatione surripitur, quod in se quidem solerter inspicunt, et ante Dei oculos, quanti sit reatus, attendunt; et cum de his omnibus districta judicia semper pertimescant, tunc tamen hæc vehementer metuunt, cum ad solvendum humanæ conditionis debitum venientes, districto judicii appropinquare se cernunt; et fit tanto timor auctior, quanto et retributio æterna vicinior; ante oculos autem cordis nihil inane tunc transvolvat de phantasmate cogitationis. Idem, l. XXIV Mor. c. VII.

In judicio reprobi humanitatem Christi, in qua judicatus est, videbunt, ut doleant; Divinitatem vero ejus non videbunt, ne gaudeant; quibus enim Divinitas ostenditur, utique ad gaudium demonstratur. S. ISID. L. I, Sent. c. XXXVII.

Totus ignis ille, qui præcedet faciem judicantis, et omnis caliditas ejus conglomeratos involvet, et attrahet ad inferos peccatores, et sic præcipitanter ruent in supplicium sempiternum. S. BERN. tom. I, s. II, a. 3.

Cogita, quanta gloria, quantus honor, quanta corona illa futura sit, cum Judex dixerit: Iste verbum meum servavit, iste fidem meam prædicavit, iste pauperem meum non desepit, iste avaritiam conculcavit, et justitiam illi prætulit, iste mundum, quasi non esset, derisit, iste verbum meum honore affecit. S. CHRYS. tom VI, hom. de Cæco.

Pro diversitate conscientiarum, et mitis apparebit in judicio Christus electis, et terribilis reprobis; nam qualem quisque conscientiam tulerit, tale judicium habebit, ut manente in sua tranquillitate Christo, illis solis terribilis appareat, quos conscientia in malis accusat. S. ISID. loc. cit. c. XXVII.

Non arbitrandum est in die judicii illos tantum a Deo Filio esse denegandos, qui in martyrio Christum negaverunt, sed et illos omnes, quorum opere, vel sermone, vel cogitatione Christus negatus negat, vel confessus confitetur. S. HIER.

Manifestus veniet inter justos judicaturus juste, qui occulte venerat judicandus ab injustis, injuste. S. AUG. de Civ. Dei.

Extremo die judicii, cum apertis cælis, ministrantibus Angelis, consendentibus Apostolis, in sede Majestatis sua Christus apparebit, omnes hunc electi pariter et reprobi videbunt, ut et justis de munere retributionis sine fine gaudeant, et injusti de ultione supplicii in perpetuum gemant. S. GREGOR. hom. XXII.

In Majestate visuri sunt quem in humilitate videre noluerunt, tanto districtius Christi virtutem sentiant, quanto cervicem cordis ad ejus præsentiam non inclinant. Idem, super illud Math. c. XXIV: *Et virtutes cælorum movebuntur.*

NECESSITAS. — Magna nobis est indita necessitas, juste recteque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis. S. AUG. c. XIV, Solitior.

Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut

quantum amplius unusquisque peccaverit, tanto minus peccata ipse intelligat. Veniat illud, quod Propheta peccatoribus clamat: « Non est Deus in conspectu ejus. » Aferuntur judicia tua a facie ejus. » Etenim quando subrepat peccandi delectatio, statim futuri judicii diem abscondit oblivio. CÆSARIUS AREL. hom. XXIX.

Irremediabile periculum est sic aliquem vitii et cupiditatibus frena laxare, ut se rationem Deo non meminerit redditurum. Puto, quod magna sit peccati poena, metum ac memoriam futuri perdidisse judicii. S. AUG. ser. XXIV, in Append.

UTILITAS. — Judicium semper præ oculis habeamus, et ita semper virtuti vacare poterimus; nam sicut, qui diei illius obliviscitur, tamquam freno abjecto in præcipitium defertur (inquinatæ enim sunt, inquit, viæ illius omni tempore; et causam affert: « Aufferuntur judicia tua a facie ejus ») ita, quem continus hic percellit timor, modeste vivendi viam ingreditur. S. CHRYS. hom. XVIII, in Joan.

Si discescere, si rapere, si absurdum aliquid facere volerimus, e vestigio dies illa judicii animo inscribatur (etenim freno vehementius absurdos affectus cogitatio hæc cohibebit) atque invicem et nobiscum semper dicamus: Horrendum illud nos judicium manet. Idem, hom. XLV, in Joan.

Nihil est, quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus eum judicem futurum, quem et occulta non fallunt, et indecora offendunt, et honesta delectant. S. AMBROS. lib. de Officiis.

QUANTITAS SEU SEVERITAS. — Si taliter flagellatur Job, qui sic timuit, qualiter feriendus est, qui contemnit? Ex verberare præsentia judicia æterna pensanda sunt. Quomodo enim toleranda est poena, que reprobat, si ferri non potest ira, que purgat? S. GREG. l. XXI Mor. c. XVI.

Per flagella hujus vite judicii nobis districtio commendatur; si enim ita districto modo percussit, quando parit; quomodo percussurus est, quando non parcens judicabit? Id. l. XXIV Mor. c. XXVIII.

Cum talis terror futurus sit adventientis, quis poterit terrorem sustinere judicantis? Cum talis futura sit presentia species, qualis erit forma sententiæ? Ille ergo venit ad judicandos nos, qui se judicio meminit addictum pro nobis. Ille venit ad discutiendam vitam nostram, qui eam restituit per mortem

sua. Ille, inquam, pro commissa nobis salute nostra rationem exacturus est, qui pro nostra redemptione damnatus est. Qui tantum contulit, se, quantum reposit. EUSEB. EMISS. hom. de Symb.

ÆQUITAS. — Superna æquitas convenit, injuste acta juste judicare, ut divina sententia ordinet in penam, quos inordinata actio traxit in culpam. S. GREG. l. XVIII Mor. c. VI.

Cognoscetur recte Dominus justitiam faciens, qui nunc ignoratur misericordiam quaerens. S. BERN. de 12 grad.

VERITAS, INFALLIBILITAS ET IMMUTABILITAS. — Non falli poterit, quia sapiens; nec vitari poterit, quia fortis robore. Nunc ut sapiens omnia prospiciat; tunc ut fortis omnia punit. S. GREG. l. IX Moral. c. II.

Ille Judex nec gratia prævenitur, nec misericordia fleitur, nec pecunia corrumpitur, nec penitentia vel satisfactione mitigabitur. Ille dum tempus habet, agat anima pro se, quamdum locus est misericordiæ, quia ibi erit locus justitiæ. S. AUG. lib. III, de Symb.

Modo enim licet tibi causam tuam componere. Ante ultimum Judicium Dei compone causam tuam. Non est, unde presumas, cum ille venerit; nec falsos testes adduces, quibus ille fallatur; nec patronos fraudulentis circumventionibus, et ingeniosis artibus adhibebis; nec ambigis aliquo modo, ut Judicem possis corrumpere. Quid ergo ages apud talem Judicem, quem nec fallere, nec corrumpere poteris, et tamen est, quod agas? Tunc enim ipse erit Judex cause tuæ, qui modo est testis vite tuæ. S. AUG. l. de x Chor. disc. c. II.

Cum venerit judicii tempus, correctionis locus non erit, sed tantum damnationis. Et erit tibi penitentia, sed infructuosa, quia sera. Hodie hortatur te, ne judicet te; et qui Judex tuus futurus est, ipse est hodie Advocatus tuus. S. AUG. in Ps. LI.

Veniet dies judicii, ubi plus valebunt pura corda quam astuta verba; plus conscientia bona, quam marsupia plena; quando quidem Judex ille nec fleetur donis, nec fallatur verbis. Quid faciet de injustis judicis, qui ipsas quoque justitias judicabit? S. BERN. epist. I.

Si credis Deum creatorem, aut gubernatorem mundi, non debes cum credere aut crecum, ut ea que fiunt, non videat; aut, insipientem, ut si videat, non cognoscat;

aut malignum, ut malum, quod videt, ei placeat et punire non valeat; aut injustum, ut nec bonis bona, nec malis mala retribuatur. BELLYAC. *Spec. mor.* dist. IV. l. II.

Sedebit iudex, qui stetit sub iudice; damnabit vero reus, qui falso factus est reus. Nihil prohibet unum et idem deberi alicui ex diversis causis, sicut gloria corporis resurgentis debita fuit Christo, non solum propter congruentiam Divinitatis et propter gloriam anime, sed etiam ex merito humilitatis passionis; et similiter dicendum, quod iudicialia potestas homini Christo competit, et propter divinam personam, et propter plenitudinem gratiæ habitualis, et tamen etiam ex merito eam obtinuit, ut scilicet secundum Dei justitiam iudex esset, qui pro Dei justitia pugnavit, et vicit, et in iuste iudicatus est. S. THOM. p. III. q. LVIII. art. 3.

TEMPUS. — Frustra annos, qui huic sæculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire, non esse nostrum, ex ore veritatis audiamus. Quos tamen alii quadringentos, alii quingentos, alii etiam mille ab Ascensione Domini usque ad ultimum ejus adventum compleri posse dixerunt. Conjecturis quippe utantur humanis non ab eis certum aliquid de Scripturæ Canonice veritate profertur. Omnium vero de hac recalculationum digitos resolvit, et quiescere jubet ille, qui dicit: Non est vestrum scire tempora, quæ Pater in sua posuit potestate. S. AUG. I. XVIII. de Civ. Dei.

MEMORIA JUDICII. — Semper cor et lingua tua de extremo Judicio meditentur. Sive igitur operi, sive orationi intentus sis, sive ambules, sive sedes, sive comedas, sive jejunes, sive in cubili tuo vigil jaceas, sive quid aliud agas, non desistat mens tua cogitare, et os tuum loqui de judicio. S. EPHREM, tom. II. par. an. 47.

Rogo vos, Fratres charissimi, ut lectionem istam attento corde audiatis, et memoriter retineatis; qui enim istam lectionem diligenti mente attendit, etiamsi reliquas Scripturas, minime intelligat, ista sola lectio sufficere potest ad omne opus bonum faciendum, et ad omne opus malum fugiendum. S. CÉSAR. AREL. hom. 35.

In omni vitæ nostre genere memoria divini Judicii inserenda et continenda est, ut eam aliquid agimus, residente in nobis Judicii memoria, vel nunquam potius

abeunte, præceptis Dei opera nostra famulentur. Beatus erit, quisquis non sine memoria divini Judicii omnia gesserit; quod de se proficitur Propheta, dicens: « Memoratus sum Judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum. » S. HILAR. in Ps. 118.

O anima, nunquam excedat a tua memoria *Ite, maledicti, in ignem æternum! Venite, benedicti, percipite Regnum!* O! quid potest lamentabilis et terribilis cogitari, quam, *ite?* Quid delectabilis exprimi, quam, *venite?* Duae sunt voces, quarum nihil horribilius una, et nihil jucundius altera poterit audiri. S. BONAV. tom. 7. c. III. *Soliloq.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Adveniente die iudicii non quaeretur a nobis, quid legimus, sed quid fecimus; nec quam bene diximus, sed quam religiose vivimus. L. V. c. III. § 5.

In omnibus rebus respice finem, et qualiter ante districtam stabis Iudicem, cui nihil est occultum, qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit, sed quod justum est iudicabit. L. I. c. XXIV. § 1.

O miserrime et insipientis peccator, quid respondebis Deo omnia tua mala scienti, qui interdum formidas vultum hominis irati? Ut quid non prævides tibi in die iudicii, quando nemo poterit per alium excusari vel defendi, sed unusquisque sufficiens onus erit sibi ipsi? Ibid.

Tunc plus letificabit bona et pura conscientia, quam docta Philosophia. Tunc plus valebunt sancta opera, quam multa pulchra verba Ibid. § 6.

Durus multis videtur hic sermo: Abnega teipsum, tolle crucem tuam, et sequere Jesum; sed multo durius erit audire illud extremum verbum: Descende a me, maledicti, in ignem æternum. Qui enim modo libenter audiunt, et sequuntur verbum Crucis, tunc non timebunt ab auditione eterne damnationis. Hoc signum Crucis erit in celo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Tunc omnes servi Crucis, qui se crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Christum Iudicem cum magna fiducia. L. II. c. IV. § 1.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — David sollicite a Deo pecebat: Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine. Item: Confige timore tuo, carnes meas; a iudicis enim tuis timui. Ps. CXLII. 2. Ps. CXLVIII. 420.

Job dicebat: Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Job. XIV. 43.

S. Hieronymus fassus est, se, quoties diem illum consideravit, toto corpore contremuisse, et semper illam tubam: *Surgite, mortui, venite ad iudicium!* in auribus suis sonuisse. SURIUS, in Vita, 30 Octob.

S. Augustinus quoque de se confessus est, nihil aliud ipsum a profundiore voluptatum carnalium gurgite revocasse, nisi metum mortis et futuri iudicii, qui nunquam recessit de pectore illius. S. AUG. L. XVI. Conf. c. 16.

S. Bernardus, quantopere timuerit iudicium hoc, sequentibus verbis expressit: *Paveo gehennam, paveo iudicis vultum, ipsis etiam tremendum Angelicis potestatibus. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut preveniam fletibus fletum?* S. BERN. s. x. in Cant.

S. Vincentius, Ordinis Prædicatorum, zelosissimus concionator, plenasque conciones de iudicio instituit. BASSÆUS, conc. 1. de iudicio.

Isaias quoque de se fatetur: Ad annuntiandum mansuetis misi me, ut predicarem annam plebeibilibus Domino, et diem ultionis Deo nostro. Is. c. LXI. v. 1.

S. Theresia, cum Christus Iudex in pulcherrima luce se illi spectabilem exhibuisset, et quædam venialia peccata ostendisset, tanto pudore confusa est ex eorum aspectu, ut penas Inferni tolerabiliores esse putaret, et undequaque quaereret, quo se absconderet. Unde intulit: Si tantilla lux tanto animi stupore consternavit, quid futurum est in die iudicii, quando se clare ostendet illa Majestas, et feditatem peccatorum ostendet? Vita, c. XL.

Elias Abbas, qui septuaginta annis sanctissime vixerat in deserto, dicere solebat iis, qui ad ipsum ventitabant: Tria timeo.

Primum est, anime e corpore discessio. Alterum, inevitabilis necessitas comparandi eorum Deo. Tertium est, sententia, quam in me laturus est Iudex. PALLAD. c. LI.

Agathon cum sub finem vitæ per triduum oculis apertis cælum aspiceret, et ab astantibus quaereretur, ubi esset? respondit: In conspectu Dei sto. Cumque illi rursus interrogaretur, numquid et tu times, Pater? respondit iterum: Quantum potui, mandata Dei servare studui, sed unde scio, opera mea Deo placuisse? Alia sunt hominum, alia Dei iudicia. Ideo nihil confido de gratia et favore Dei, donec sententiam in me ferendam audivero. RUFFIUS, n. 161.

S. Arsenius, annorum centum viginti senex, post vitam sanctissime actam cum in fatali lecto flere copisset, et ab astantibus interrogatus fuisset, num et ipse sibi a Iudice timeret? respondit: In veritate timeo, et iste timor, qui nunc mecum est, semper in me fuit, ex quo factus sum Monachus. Ibid. n. 163.

Princeps Lusitaniæ, Joanna, cum post exactam in Monasterio sanctissime vitam, in morte luctaretur, et Monialis intima accedens diceret illi: ergone, o Domina, tuam de Deo confidentiam amittis, et quasi desperata loqueris? respondit: Charissima Soror, non de Deo despero, neque de illius infinita misericordia; bene tamen tibi dico, quod hoc non est ad domum Regis Patris ire, sed ante tribunal Dei tremendum. ENGELGRAV. in Festo Assumpt.

Joannes Taulerus moribundus tam horribiles et pavendus gestus et aspectus præferrebat, ut omnes adstantes de salute sollicitos redderet. Verum post triduum amicum intimo apprensus dixit, Deum permisisse ipsum tam horribili morte defungi, et propter hanc luctum expeditus ad cælum transiret. Et revera, inquebat ulterius, in eas me angustias Demones coniecerant, ut viderer desperationi proximus; et nisi mors interveniens vocem interclusisset, eos edidisset clamores, qui summos angores facile testari potuissent. DREX. I. II. Trib. c. v. § 3.

Religiosus quidam post mortem alteri apprensus habitu vilis et tristi vultu, quaerenti causam tristitiæ, dixit: Nemo credit, nemo credit, quam districte Deus iudicet, et quam severe puniat. FAB. conc. VI. in Dom. XX. post Pent.

Thalleteus Cilix, quod notata dignissimum, annis sexaginta, quos in divino servi

tio exegit, assidue flevit, semperque dicere solitus est: Tempus hoc nobis ad penitentiam indultum est, et rationes valde severas postulabit Iudex, si illud neglexerimus. JOAN. MOSCHUS, in *Prat. Spir.* c. XXXIX.

De sanctitate Sancti Ephrem S. Basilium egregium perhibet testimonium, præterquam quod, cujus ille Spiritus fuerit, ejus opera sufficienter demonstrent, et tamen audit, qualiter idem ille in pluribus librorum suorum locis de hoc timore locutus fuerit. Nam, in capite LXXXVIII, de apparitione Crucis in Judicio, inquit: Heu mihi, Fratres mei in Christo dilecti! recordatus sum horæ illius, et contremui. Et paulo post: Hæc dum mecum cogito, timore corripuntur membra mea, et dissolvor undique, oculi præ timore lacrymas fundunt, vox mihi deficit, labia mea quasi conglutinata hærent, lingua mea contremiscit. S. EPHEM. l. I. de *Appar. Crue.* Idem quoque, capite LXXX, de Judicio extremo, et de compunctione disserens, ita scribit: Mihi sane cor tremat, et renes immutantur, dum cogito de actu omniū manifestatione, cogitationumque ac sermonum exacta discussione, quæ ibi fiet. *Ibidem.*

UTILITAS. — Sanctus Lucas Sanctum Paulum, tanquam furibundum leonem, et Christi persecutorem nobis describit, qui adversus Evangelii sequaces, fulmina iræ suæ evibrare satagebat: Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini. Quem tamen eundem paulo post in eodem capite nobis exhibet, velut agnum quemdam longe mansuetissimum: *Domine, quid me vis facere?* Valde illum ex tunc veneramur, tanquam Vas electionis, Doctorem gentium, et Apostolum gloriosissimum, ad totius mundi conversionem specialiter destinatum. Sed undenam orta est hæc tanta viri hujus mutatio? Ex consideratione finalis judicii. Audiamus hæc de re loquentem S. Vincentium: Quando, inquit, Christus sibi dixit: « Saule, Saule, durum est tibi contra stimulum calcitrare; » cui Christus ostendit se, (ut dicunt Glossæ) sicut stabit in judicio, Paulus statim tremens ac stupens, dixit: « Domine, quid me vis facere? » S. VINCENT. FERR. s. III in *Sezag.*

De Sancta Elisabeth, Ungariæ Regina, referunt, quod, cum ei hospitalia sæpe frequentanti, infirmisque ibidem decumbentibus magna cum charitate et compassione inservienti, pium hoc ministerium a pedibus suis dissuaderetur, ipsa eas responso

adæquato compescuerit, imo ad se sequendam et imitandam stimulos addidit, dicendo: Ego me dispono, et preparo ad diem judicii, ut examinanti me Judici apte respondere possim; dictura enim sum Christo: Recordare, quod tibi in hospitalibus infirmanti tanta cum charitate inserviverim, ut pedesque meos ab hoc pietatis officio me revocare conatæ fuerint. MANSI, disc. XXXI, n. 2.

Referunt sacræ paginæ, Regem Babylonæ Balthasarem, cum adhibitis ut convivium regni magnatibus, præcepisset afferri vasa aurea et argentea, quæ asportaret Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, ut ex eis biberent, in eadem hora apparuisse digitos, quasi manus hominis scribentis, contra candelabrum in superficie aulae regie; porro istud portentum intuentem Regem ita turbavisse, ut commutata sit ejus facies, et compages renum soluta, genuaque ejus collisa ad se invicem. Ex quo ita mecum ratiocinor: Si trium verborum in pariete scriptorum indicium, etiam cum nondum eorum sensus intelligeretur, Regem potentissimum tantum exanimavit, quantum tum futurus est reprobus terror, quando severissimi Judicis terribilem istam sententiam audient: « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum? » DAN. c. LIII.

Legimus in vita SS. Barlaami et Josaphat apud Sanctum Joannem Damascenum, fuisse Regem quemdam in primis timentem Deum, cui vectus rheda, cum forte obvios habuisset duos, vili habitu, Monachos, et subito de curru exiliens, primum in complexu eorum ruisset, deinde etiam flexo genu benedicti sibi ab eis dem petiisset, factum istud, tanquam a regia dignitate alienum, ab Regis fratre Judibrio exceptum. Id enim Rex rescivisset, jussisse ferunt, ut sequenti die bene mane ante fratris aedes tuba eo sono inflaretur, quo mortis sententia in reum lata, eo loci designari solebat. Exhorruit ad buccine sonitum Regis frater, et lecto se effundens cum conjuge, ac liberis, nondum veste bene tectus, ad Regem accurrit, ad pedes ejus provolvitur, veniam rogat, si quid, quod ignoret, abs se peccatum; hic Rex subridens, seminecem humo surgere jubet, itaque affatur: Itane, mi frater, itane te unus lubæ sonus, etiam crimine vacuum percussit, perturbavitque, et ad fratris tui pedes abiecit? Et rides, quando me horri-

sonæ illius, qua omnes nos olim multorum criminum rei, ad Dei tribunal evocabimur, buccinæ memorem, de curru desilisse me, et Monachis istis divini judicii præconibus ad pedes accidisse vidisti? *Pædagog. Christ.* p. VIII. c. VIII. § 8. n. 11.

S. Vincentius Ferrerius de quodam juvene, qui quantum pulcher aspectu, tantum moribus et conversatione turpis et deformis erat, refert, quod nocte quadam se ante tribunal Dei, ad reddendas vitæ suæ rationes presentandum mox esse, somniando, adeo exhorruerit, ut sequenti diluculo omnes capilli capitis ejus perfectissime incanuerint. S. VINCENT. FERR. s. de *Corona.*

Bogoris, Rex Bulgarorum, considerato in pietate (quam ei Methodius Monachus in nova domo plexerat) Judicio extremo, adeo commotus est, ut et ipse fidem Catholicam susceperit, et suos etiam Bulgaros, parva manu, prælato tamen Crucis signo devotos, ad eandem fidem perduxerit. DACYOL. c. VIII. *Catec. hist.* t. VIII, ex. 3.

Quidam Religiosus cum mater illi mortua apparisset, et negligentiam exprobrasset, summam penitentiam egit, causamque rogatus dixit: Si matris meæ improperium non portavi, quomodo improperium in die Judicii tolerabo. *Vita PP.* l. n. 216.

Disputante Paulo de justitia, et castitate, et de judicio futuro, tremefactus Felix Præses respondit: Quod nunc attinet, vade, tempore autem opportuno accersam te. Ubi, teste S. Chrysostomo, tanta erat vis verborum, ut etiam Principem detererent. *Act.* IV, 25.

Antiochus Monachus cum in Asia cœnobio ab Abbate suo nimis amanter tractaretur, et ideo abeundi licentiam petiisset, prima nocte, quam in Ponti cœnobio egit, vidit in somno, se ad rationes exigendas citatum, centum librarum auri debitorem convictum esse, ideoque omnem conatum adhibuit, ut virtutum præstantissimarum, præsertim patientiæ et humilitatis, quarum occasionem injuriæ et contemptus eidem velut peregrino exhibiti abunde offerebant, exercitio hoc debitum deleret, quod et factum, nam post triennium decem libras, post alios vero decem annos, cum stultum se simulasset, et omnes cœnobii molestias pertulisset, omne debitum extinctum vidit. *CLIMAC. Grad.*

Scribit Venerabilis Beda Sanctum Ceadam semper dum viveret, diem Domini sol-

licitum expectasse, et quoties tonaret, aut fulguraret, aut vehementer aliqua procella ingrueret, solitum esse in memoria revocare extremi Judicii diem, et misericordiam Domini invocare, atque eam humano generi propitiare. Itaque paratum expectasse horam transitus sui, imo et mortis diem ei præsentatam ab Angelis, quibus quomocumque comitantibus ad cœlos emigravit. Promiserant enim Angeli se post dies septem ad eum redituros, secumque una ad cœlum adducturos. Quod quidem, inquit Beda, ita ut ei predictum erat, opere completum est. Nam confestim languor corporis factus est, et hoc per dies ingravescente, septimo, ut promissum fuerat, die, postquam obitum suum Dominici Corporis et Sanguinis perceptione munivit, soluta ab ergastulo corporis anima sancta, ducentibus, ut creditas est, Angelis comitibus, æterna gaudia petiit. Non autem mirum si diem mortis vel potius diem Domini lætus aspexit, quem semper usque veniret sollicitus expectare curavit. Namque inter plura continentie, humilitatis, doctrinæ, orationis, voluntariæ paupertatis, et cæterarum virtutum merita, in tantum erat timori Domini subditus, in tantum novissimorum suorum operibus suis memor, ut, sicut mihi Frater quidam, nomine Trumbertus, referre solebat, si forte legente eo vel aliud agente repente flatus venti major assurgeret, continuo misericordiam Domini invocaret, et eam generi humano propitiari rogaret. VEN. BEDA, lib. IV. *Historiæ gentis Anglor.* c. III.

Petrus Constantinopolitanus, cognomento Telonarius, vir tanto majori admiratione dignus, quanto ante conversionem vixit nequius. Hic cum opum copia redundaret, dubitatum est, utrum ditior an avarior esset. Hic inter medicos ortum est certamen, unus profitebatur se ab eo elemosynam elicitarum, cæteri id omnino fieri posse negabant. Qui rem facturum promiserat accessit cum multo præcum ambitu, et dum hominem se urgere cœpisset, in iram concitavit, ita ut furore ardens repente arreptum panem (panes autem casu ancilla e fornace domum coemptos referrebat) in faciem precantis extorqueret, qui cum declinasset lectum, sublato pane discedens, se tandem voti sui compotem factum sociis nuntiavit. Petrus vero postea adversa valetudine agitata, cum postremo horis aliquot exanimis

jaenisset et revixisset; narravit sibi interim visum fuisse, se ante tribunal Dei in caelos sisti, ab aliis accusari, ab aliis defendi, in altera libræ lance peccata quæ commiserat, appendi, in altera uniem panem illum, quem ipse quondam projecerat iratus. Et cum exequatam utrinque pondus staret reverti, ac pani aliquid superaddere, quod præponderaret, si multi reatus supplicia cuperet evadere, sibi jussum. Itaque cum convalesceret, quæ cupide conflaverat, liberaliter coperat effundere, neminem indigentium opis suæ expertem fieri passus. SIMEON METAPH. *Vita D. Joannis Eleemosynarii*, et SERIUS, t. V.

EXEMPLA DOMESTICA.

P. Jacobus Velga initio morbi suis lethalis adeo horruit rationem, quam erat coram Deo in ejus judicio redditurus, ut valde anxie et sollicitè a Deo peteret, produci adhuc sibi vitam ad unum annum, ut amplior posset penitentiam agere. *Vita P. B. Alb. XLVII.*

P. Joan. Baptista Vaninus, vir sanctus et miraculis clarus, cum ad extrema venisset, elata voce ingeminabat: Justitia Dei! Cumque P. Rector identidem suggereret: Misericordia Dei! tum ille ad P. Rectorem: Pater, ipsas justitias Deus judicet. Tandem se convertens et projiciens in divinæ misericordiæ abyssum sanctissime expiravit. *Annua Montis Regal. 1099.*

EXEMPLA PROFANA.

Quantopere Plato judicium Rhadamanti aestimavit, ostendit his verbis: Ego igitur, o Callicles, ab hujusmodi sermonibus flector, et considero, qua ratione Judicij sanctissimum animum ostendere possim. Quamobrem omnes populi spernens honores, veritatemque considerans, conabor revera, quam maxime potero, bonus vivere ac mori. Cohortor autem et cæteros omnes, quantum possum. Te quoque ad hujusmodi vitam revoco, atque certamen, quod equidem assero, præ aliis certaminibus in hac vita esse homini subeundum. Quapropter et te objurgo, qui non poteris tibi ipsi opem ferre, quando de te judicabitur, instabique sen-

tentia, quam modo dicebam. PLATO, in *Gorgia*.

Etiam Seneca id agnovisse videtur, dum dixit: Cum tempus advenit, quo se mundus renovaturus extinguat, viribus ista suis se cadent, et sidera sideribus incurrent, et omni flagrante materia, uno igne, quicquid nunc ex disposito licet, ardebit. Nos quoque felices animæ eterna sortite, cum Deo visum fuerit, iterum ista moliri. SENECA, de *Consol. ad Marc.* cap. ult.

Ethnici fixerunt Rhannusiam Pean ultricem fandi et nefandi, frena manu tenere, ut innumeret, nihil efficacius esse ad retardandos mortales a sceleribus, ac memoriam ultionis Dei et judicii. BESSÆUS, *conc. de Judicio*.

Sed et Rhadamanthum, Minoem, ac Æacum finxit antiquitas Judices in altero orbe constitutos, qui singulorum acta examinant, ac promeritis pœnis male facta castigant. VIRGIL. vi.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut tonitrua, fulminum sunt prænuntia; ita signa Judicium præcedentia, seenturum ultimæ sententiæ fulmen prænuntiant. BESSÆUS, t. II. de *Judicio*.

Sicut maris æcolæ ex avium circumvolatu in littore colligunt, quando mare alluet, aut defluet; sic undosos Judicij aestus horrida signa præcedent, ut homines sibi cavere possint, juxta illud Psalmi: Dediti mentibus te significationem, ut fugiant a facie areus. Ps. LIX, 6.

Sicut, cum herus in agone pro deposito habetur, domestici in luctu et squalore sunt, ipsique parietes ac sellæ atris pannis obducuntur; ita, dum homo Mundi dominus expiraturus est, omnia sensata et insensata lugebunt. Ib. *apud Bess.*

Sicut Noe ex plantata a se vinea inebriatus dormiit, et nudatus risus est, at evigilans maledixit impio filio irridenti; ita Christus amore Ecclesiæ ebrius, ac in Cruce nudatus, risusque, dissimulans peccata hominum, excitabitur tanquam dormiens, et quasi potens erapulatus a vino, et perentio inimicos in posteriora, opprobrium sempternum dabit illis. Ps. LXXVII, 6.

Sicut illi, qui e carceribus educuntur, una cum ipsis catenis ad judicium potra-

huntur; sic omnes animæ, cum hinc emigraverint, variis peccatorum pœnis implicite, ad terribile illud ducentur tribunal. S. CHRYS. hom. xiv. c. iv. *Matth.*

Sicut vitrum soli objectum secreta omnia, et penitissimas pandit rimulas; ita cum nos Soli Christo objiciemur, nostra omnia patebunt. DREX. in *Trib.* l. I. c. 1. § 1.

Sicut in diebus Noe, ita erit, et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nudentes, et nuptiæ tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noe in Arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes; ita erit et adventus Filii hominis. MATTH. XXIV, 27.

Sicut fur in nocte, sic dies Domini veniet; cum enim dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. I. THOMAS, c. v, 3.

Sicut aquila immota aliquamdiu coturnicum morsus et deplumationem patitur, sed tandem graviter injuriam ulciscitur, et obvias perimit; ita Deus diu patitur peccatorum injurias, sed suo tempore in Judicio graviter se de illis vindicabit, ut ipse per Isaiam his verbis indicavit: Tacui, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: Dissipabo et absorbebo simul. Is. XLII, 14.

Sicut iudex causas litigantium differt ad certum diem, in qua omnibus jus reddat, licet interim necessitate exigente, quandoque causas aliquas obiter expediat, et aliquos carceribus includat; sic Deus quasdam causas hic obiter expediet, reliquas in die universalis Judicii expediet. FAB. *conc. II. in Festo S. Nic.*

Sicut triumphatores olim captivos in triumphum duxerunt, et postea in carcerem vel ad mortem abduci jusserunt; ita Christus prius de peccatoribus in extremo Judicio triumphumaget, et postea morti, et carceri æterno eos adjudicabit. Ib. n. 2.

Sicut ii, qui pretiosa sunt ornati veste, cum forte intrinsecus quoque formosi ac venusti ex illo exteriori cultu putarentur, exuti tunica, undique in balneo conspecti, contra quam putabatur, ridendi ac innumeris fere malis insigniti corporis continuo apparuerunt; ita multi, qui in hac vita justii et sancti apparebunt, in judicio gravissimis sceleribus vitiatii videbuntur. S. BASIL. I. de *Virg.*

Sicut, dum ancillæ obiter tantum domum evertunt, dominæ postea accuratius eamdem

lustrantes, sordes ab iis relictas cum gravi earum confessione producant, et ostendant; ita dum peccatores leviora dumtaxat peccata confitentur, Deus eorum graviora delicta cum summo dedecore manifestabit olim in Judicio. FAB. *conc. III. in Dom. 3. Adv.*

Sicut in hyeme omnes arbores nude sunt, sed æstas frugifera ab infrugiferis discernit; ita in hac vita nondum apparet, qui electi aut reprobi sint, sed Christi adventus id indicabit. S. AUGUST. s. xxii de *Jejun.*

Sicut ad terreni judicis tribunal citatur reus, ministri emittuntur justitiæ, ut eum captivum illic duceant, qui si non sufficient, militibus stipantur, bene armatis; sic etiam (ut Bellovacensis inquit) circa modum vocationis sciendum, quod illa voce terribili et tuba mirabili perstrepente, celum et terra concutietur, et omnis creatura commovebitur, omnes ad Judicium vocabuntur, et ad tribunal æterni Judicis citabuntur. BELLOY. I. IV *Spec. hist. IV.*

Sicut cum Rex aliquis quamdam civitatum suarum pacifice ingreditur, omnes præsidarii milites tam eum, quam comitatum suum, explosis in lætitiæ testimonium scopetis, reverenter salutant; at vero si in civitatem paulo ante sibi rebellem eum ingrediendum sit, eandem armato exercitu stipatus ingreditur, ut eam castiget. Pari quoque modo quia primus Christi adventus eo spectabat, ut se naturæ nostræ desponsaret, pacemque universo mundo indiceret, ideo omnes mundi creaturæ ediderunt signa jubilii et lætitiæ: *Hodie per totum mundum melliflui facti sunt caeli. Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini quia venit;* in stellis novæ stellæ conspicuæ comparuerunt; tres visi sunt promicare soles; olei et balsami torrentes terra scaturivit; Angeli e caelis descenderunt, et canerent *Gloriam in Altissimis Deo, et in terra pax.* At vero quia in adventu ejus secundo descensus est ad castigandam humanam rebellionem, ideo solem, lunam, stellas, et elementa adversum nos armavit, atque ideo erunt signa in sole, luna, et stellis, et in terris pressura gentium. MANST. disc. IX, n. 5.

Sicut dum Rex severum et districtum judicium in subditos exercet, non solum illi timent, qui pro suis meritis judicantur, sed etiam illi, qui ejus lateri adherere solent; sic cum Deus omnipotens reprobos puniet in Judicio, ut terror et districtio Judicii ostendatur, etiam illi timere dicuntur, qui

æterna stabilitate firmati sunt; unde bene per Job dicitur: « Columnæ cæli contremiscunt, et pavent. » Et merito exclamavit Sanctus Gregorius: Quid ergo facient tabulæ, quando tremunt columnæ? Quid virgula deserui patitur, cum cædus Paradisi concutitur? HAYMO ALBERSTAD. *Epist. in Dom. II. Adb.*

Sicut homo manens in supercilio montis, quando videt aliquam absorberi civitatem hiati terræ, aut incendio concremari, quodam naturali instinctu horret, licet videat periculum sibi non imminere; sic Angeli atque Beati, videntes contra reprobos pugna universum orbem, quodam naturali horrore commovebuntur. S. BERN. t. II. s. XI. a. I. c. IV.

Sicut patrefamilias moriente, tota domus ejus turbatur, omnis familia plangit, et conscisis tunicis suis, nigris se cooperiunt vestimentis; sic et humano genere, propter quod fuerant omnia creata, circa exitum constituto, lotus contristatur mundus, universa cæli ministeria lugent, et candore deposito, pro vestibus luctuosus, tenebris vestiuntur. AUCTOR OPER. IMPERF. II. XLIX.

Sicut qui thesaurum sibi accumulare contendit, vastam quandam, firmiterque clausam et obseratam arcam sibi fabricari facit, in eamque per multorum annorum decursum varias auri monetas quotidie conjicit, donec tota repleta fuerit, quantoque diutius illam aperire distulit, tanto thesauri cumulus majora incrementa sumit, adeo ut tandem eandem omnem mensuram, omnemque numerum supergredi deprehendat, dum illam aperit; pari quoque modo ad propositum nostrum dicere possumus. Pectus namque Christi est veluti clausa quædam arca, in qua nobis occulta ejus occultantur judicia. In hujus pectoris arca reconduntur bonorum merita, et demerita impiorum; in hanc arcam impii quotidie per 30, 40, vel 60, annorum spatium innumera projiciunt scelera, nihil curantes, dum bibunt quasi aquam iniquitatem; neque enim de reddenda Judici supremo scelorum suorum ratione unquam cogitant; at vero quando tandem tempus adveniet in quo arca hæc aperietur, id est, quando exactissimæ a nobis sunt reddendæ rationes, non solum omnium culparum mortalium, verum etiam venialium, imo cujuslibet verbi otiosi, cheu! in quantum illorum summam ex-revisse deprehendemus? Quantum in numero, in specie, et malignitate, peccata in-

numera, et commissas a nobis iniquitates ex-revisse deprehendemus? Vere tunc supremus ille Jdex dicere nobis poterit: Nonne hæc condita sunt apud me, et signata in thesauris meis? Inque majorem terrorem, et consternationem nostram subjunget: « Mea est ultio, et ego retribuam in tempore. » Neque enim sibi persuadere debent impii, se peccata sua in sæculum recondidisse pertusum et lacerum, nam ut S. Job ait: Signasti quasi in sæculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. » S. Bernardus in quodam sermone hunc textum his verbis declarat: Theaurizas tibi thesauros iræ, pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, et evacuas in te misericordiam Dei. Quanto enim quis in hæc vita pietate divina magis abutitur, non facit peccatorum suorum poenitentiam, tanto irata sibi Dei Justitiam magis experietur severam et implacabilem. S. BER. de *Tript. Miseric.*

Sicut si cubiculum aliquod ingrediamur, apertis clarum fenestris, aerem intuemur purum; ast ubi solis subintraverit radius, subito atomi et pulveres, quos primo non videramus, comparent. Ita quoque multis accidit animabus, quæ variis operibus bonis et meritoriis se vacasse sibi videbunt, ubi autem Sol ille affluserit Justitiæ, et examen strictissimum, multi cognoscentur defectus; discutietur enim, an Missa debita cum attentione et devotione celebrata vel audita fuerit; si Officium divinum cum recollectione recitatum; si Confessio stabilia non recidivæ habuerit proposita, actusque poenitentia ferventes; si Communiõ cum præparatione gratiarumque actione convenienti associata fuerit, quia scilicet, ut Ecclesiastes inquit: « Qui timet Deum, nihil negligit. » MANSI, dis. XXXI, n. 4.

Sicut infirmus vocem chirurgi auscultans metuit, quia incisiones sibi adhiberi formidat, indeque se aliquam corporis partem læsam habere indicat; e contra vero si sanus est, omnis est expertus timoris. Ita quoque quoad timorem Judicii extremi ratiocinari possumus; qui enim bonam habet conscientiam, estque capax amabilissimæ hujus invitationis: « Venite, benedicti Patris mei, » horam comparandi ad Judicium nec videt, nec metuit; non vero item, qui conscientiam habet peccatis onustam; nam ut S. Gregorius ait: Visionem justis Judicis, quam justus vehementer expectat, injustus venire

formidat; iste namque labores suos considerans, mercedem retributionis querit, et causæ suæ meritum sciens, præsentiam Judicis expectat; ille vero qui injustitiæ suæ meminisse, venire ad judicium perhorrescit, quia damnari, si examinetur, se novit. S. GREG. lib. XXXI *Mor. c. XXI.*

Sicut ericius, quando venit hortulanus, et credit fugere, non potest onus excutere, sed capitur cum furto; sic mali capientur in peccatis suis. BELLOV. *Spec. lib. II, dist. VIII.*

QUANTITAS. — Sicut ad Mare Rubrum venerunt Ægyptii et Israelitæ, sed hiinnoxii transierunt, illi submersi sunt; ita ad Judicium mali et boni perducentur, verum hi cum gaudio id subibunt, illi cum moerore sententiam perditionis accipient. ORIG. hom. I, in *Ps. XXXVI.*

Sicut aurora surgens primum occupat montes; sic Judicium ab excelsis et potentibus incipiet, ut potentes potenter tormenta patientur. S. HIER. in cap. II *Joel.*

Sicut, quo meliori discipulus ingenio ac talentis præditus est, tanto gravior examinatur; ita quo plura quis beneficia ac talenta a Deo accepit, tanto severior ab eo ratio exigitur.

ÆQUITAS. — Sicut cum civitas ab tyranni pressa jugo, postquam semel illud excussit, in ipsum arma sumit pro libertate; ita cum a peccatoribus creature sint quasi tyrannidem passæ, merito armantur denique ad ultionem inimicorum, et pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos, ut Salomon prædixit. Bess. conc. II, de *Jud.*

Sicut specula tales ostendunt effigies, quales sunt vultus illis objecti, nec propterea culpanda sunt, si fœdam faciem representant; ita justum Dei Judicium nostris affectionibus assimilatur, qualiacumque a nobis commissa fuerint, tales nobis de suo præbens retributiones. S. GREG. *Nyss. or. II de Beat.*

Sicut nemo reprehenditur, quando paleas a tritico separat, et hoc quidem recondit, illas vero ut inutiles abjicit; ita nec Deus culpandus est, si a fidelibus separet infideles, qui non reficiunt ad gloriam ejus. S. CHRYS. hom. III, *Oper. Imp.*

UTILITAS. — Sicut, quando causa apud judicem dicenda est, quæ aliquem metum ex legibus habere videtur, ex omnibus vigiliis excubatur, et advocato patrono munera præparantur; ita si credamus nos olim

TOMUS II.

ante tribunal Dei staturos, causamque tam dubiam dicturos, merito et ipsum Judicem Christum, et sanctos piis operibus conciliare conabimur. ORIG. hom. V in *Levit.*

Sicut is, qui Dei Judicii obliviscitur, tanquam freno abjecto in præcipitium deferitur; ita quem continuus hic percellit timor, modeste vivendi viam ingreditur. Recordare novissima, inquit, et in æternum non peccabis. S. CHRYS. hom. XXXVIII, in *Joan.*

Sicut casta conjux non intrepide tantum, sed etiam cupide expectat reditum mariti sui, servusque fidelis reditum domini sui; ita repentini Judicii timor omnem prorsus tollit vite recte instituendæ dilationem. STAPL. tom. II, in *Dom. I. Adb.*

Sicut sol omnes stellas fulgore suo obscurat; sic solius Judicii memoria terrore suo omnes concupiscentias extinguit. *Ibid.*

Sicut fortissimo milite domum custodiente, domus illa a latronibus nocturnis tuta est; ita timor futuri Judicii ab imminitibus peccatorum periculis securos nos facit. *Ibid.*

Sicut navis non in prora, sed in puppi sedens nave bene dirigat; sic animus noster vitam suam bene regget, non si in prora præsentis vitæ, sed puppi potius futuri status constituitur. FAB. con. II, in *Dom. XXIV, post Pent. n. 5.*

Sicut cervæ tonante cælo pariunt, metu easdem resolvunt; ita peccatorum animæ ad Judicii tonitru scelera deponunt. BESS. *æus, conc. I de Judicio.*

MOTIVA.

Ad Judicium universale timendum.

Potentia Judiciis; hinc ipse Christus dixit: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam. MATTH. XIX, 28.

Sapientia Judiciis; quam ipse per Jeremiam indicavit dicens: Ego Dominus scrutans cor et probans renes, qui do unicuique juxta viam suam et juxta fructum ad inventionem suarum. JER. XVII, 11.

Justitia Judiciis; qui, cum acceperit tempus, justitias judicabit. PS. LXXIV, 3. Hinc merito timens S. Job. Quid faciam, inquit, cum surrexerit ad judicandum Deus, et cum quaesierit, quid respondebo illi? Sem-

per quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti. JOB. XXXI, 24 et c. IX, 28.

Inflexibilitas Judicis; non enim parcat in die vindictæ, nec acquiescat cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. PROV. VI, 15.

Majestas Judicis; nam, ut Christus prædixit, tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa et Majestate. MATH. XXIV, 30.

Incertitudo Judicii quoad tempus; hinc Christus monet: Vigilate (nescitis enim, quando Dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane) ne cum venerit, repente inveniat vos dormientes. MARC. XIII, 35.

Incertitudo Judicii quoad eventum; nam, ut Salomon ait, suus justis atque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. ECCL. IX, 1.

Horribilitas Judicii; est enim dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustia, dies calamitatis et miseria; et tribulabitur ibi fortis, teste Sophonia, c. I, 13.

Furor accusantium Diabolorum, dicens quippe, teste Eusebio Emysseno, ad Deum: Juste rerum arbiter, tuus quidem est homo per creationem, sed noster cœpit esse per culpam; tuus per naturam, noster per inobedientiam, qui maluit audire seductionem nostram, quam legem tuam; tibi debetur jure, nobis crimine; tuus est opere, noster voluntate, quia potuit præceptum tuum servare, sed noluit. EUSEBIUS EMYSS. in hom.

Astonium omnium hominum multitudo; nam, ut bene Sanctus Chrysostomus dixit: Si nostrum cujusque crimen occultum huic modo confessi innotesceret, nonne fieret, ut ille interire potius, ac terram debiscere, quam tam multos peccati sui testes habere mallet, quid igitur tum nobis fiet miseris, cum omnia orbi universo palam facta, in tam aperto, tamque illustri theatro denudata, hominum partim nobis cognitiorum, partim incognitorum oculis subjiciantur? S. CHRYS. hom. XLVIII, ad Pop.

Propter Christi adventum terribilem. Unde S. Augustinus dixit: Quantum possumus, sitot visceribus laboremus, ut beneficia non

nobis judicium pariant, sed profectum, ut cum tremendus Judicii dies, et tempus reddendæ rationis advenit, quidquid nobis Deus et Salvator noster contulit judicatus, integrum inveniat judicaturus. Equidem ille cum venerit, redditurus est, quod promisit; sed requisiturus est, quod redemit, et quod in primo adventu contulit, exacturus est in secundo. S. AUG. l. X, hom. XXXVI. Nam, ut Bellovacensis notat: Ad eorum (impiorum) confusionem amplius cumulandam, et ut prorsus inexcusabiles videantur, ostendet eis Christus sua Passionis insignia; quanto benignior fuit, peccata nostra dissimulando, longanimior ad penitentiam expectando, promptior ad indulgendum, prior ad gratiam conferendam, tanto tunc erit severior ad increpandum, gravior ad audiendum, implacabilior ad puniendum. BELLOV. l. c. dist. IX.

Propter examinis rigorem; nam Judex improperebit eis non solum mala, quæ fecerint, et locuti fuerint, aut etiam cogitaverint; verum etiam bona, quæ omiserint, aut neglexerint, et beneficiorum suorum omnium immensam multitudinem, quæ ingrate susceperint, quibus abusi fuerint, quæ neglexerint, contempserint, aut abjecerint, castigationes, medelas, atque innumera remedia, quibus curari debuerint, et non sunt curati. Tunc condemnabitur, inquit, quidquid fuerit inventum operis et otii, sermonis et silentii, usque ad minimam cogitationem etiam; quod dixi, si non fuerit ad Dei voluntatem directum; sed et de bonis operibus inquiretur, qua intentione, et discretione facta sunt. Idem, ib.

Propter libri aperiendi qualitatem. Hinc S. Chrysostomus monet: Ut animam tuam velut Dei habitaculum præpares, memento horrendum multum et tremendum illius diei, in quo omnes Christi throno assistentes, rerum hic gestarum rationes reddemus, ubi ante omnium oculos peccata nostra ponentur, et rursus revelabuntur, et ignorantibus ostenduntur actiones, ubi omnia nuda et aperta, ubi cordium nostrorum libri aperiuntur, et in medio theatri manifesta legentur, et in medio nocturnæ et diurnæ, et ex inconsiderantia et oblivione facta. S. CHRYS. t. VI, hom. de Cæco. Idem quoque S. Doctor in alia quadam homilia super illa verba: « Libri aperti sunt, » inquit: Libri in quibus scripta sunt mala, in quibus scripta sunt bona, in quibus scripta est cujusque vita.

Libri autem vocantur, non quod pellis aut membrana sit apud Deum, et litteræ, sed quoniam apud te liber memoria est instrumentum, Dei memoriam tanquam in libro positam narrat, libro siquidem Deus non indiget; liber enim Deo est memoria.

Propter confusionis et pudoris magnitudinem, de qua sic loquitur Bellovacensis: Attende, quanta verecundia suffunderetur honesta mulier et pudica, si coram hominibus totius regni in suam ignominiam nudaretur, revera præ nimia confusione defleceret; adhuc longe magis horreret, si multa fœda et enormia in secreto cordis ejus jaecientia coram omnibus divulgarentur; quanto igitur incomparabilis, imo ineffabilis quælibet anima confundetur, quando corpus omni deformitate turpius, et omni foetore foetentius omnibus ostendetur? Adhuc longe vehementius, quia cuncta ejus horrenda flagitia omnibus tam electis, quam reprobis hominibus nudabuntur, sed inestimabiliter tolerabilis, quam se videri a summo Judice, confundentur. BELLOV. Spec. Mor. l. II, dist. VII.

Propter Diaboli accusationem; nam Bollandus, in vita S. Joannis Eleemosynarii refert, hunc Sanctum Patriarcham in memoria recenti tenere solitum fuisse, quidquid circa judicium particulare cuique animæ, quondam a S. Simeone Stylita audierat, videlicet: Obviat ei chorus Dæmoniorum superbiæ, investigat eam, si habeat opera superbiæ. Obviat chorus Spirituum detractionis, ut aspiciat, si quando oblocuta sit, et penitentiam non egerit. Obviat Dæmones fornicationis, et scrutantur, si recognoscant in ea voluptates suas. Et quando a terra usque ad cælum misera anima posita rationem pervenerit, seorsim ab ea sancti Angeli stabunt; et non abjuralunt eam nisi bonitates suæ. Et quidem credibile est, malignos hosce Spiritus easdem oppositiones in Judicio universali facturos esse contra præscitos, in conspectu omnium, ut os eis occludant, ne excusare se possint. BOLLANDUS, t. II, Gen. III, c. XII, n. 77. Sanctus Augustinus testatur, Dæmonem audacter coram Judice proditurum, eique dicturum esse: Aquissime Judex, judica, hunc esse meum per culpam, qui tuus noluit esse per gratiam; tuus per naturam, meus per malitiam; tuus ob Passionem, meus ob suasionem; tibi inobediens, mihi obediens; qui tecum noluit habere vitam, judica, ut

meum habeat gehennam. S. AUG. contra Judæos. Quod etiam Sanctus Cyprianus confirmat, dicens: Ponat unusquisque ante oculos suos, Diabolum cum servis suis, id est, cum populo perditionis ac mortis, in medium prostrare, plebem Christi, præsentem et judicantem ipso, comparationis examine provocare, dicentem: Ego pro istis, quos tecum vides, non alapas accepi, non flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio Passionis et crucis redemi, sed nec Regnum illis cœlestis promitto, nec ad Paradisum restituta immortalitate denuo revoco. S. CYP. de Oper. et n. 46. de Eleemosyn.

Propter aliorum quoque accusationem; nam, ut S. Bernardus dixit: Tot judicium et populis astabis, quot præcesserunt te in opere bono; tot convinceris testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus, et justis actionibus. S. BERN. c. XXXVIII, de Inter. Dem.

Propter accusationem propriæ conscientia; nam, teste Sancto Bernardo, in illa die, cum Dominus ad judicandum venerit, unusquisque conscientia ad testimonium adducatur, et aperto libro conscientia omnis culpa ante oculos reducetur, atque ita cogente conscientia, unusquisque erit accusator et iudex suus. Unusquisque, inquit, librum condemnationis suæ portabit, et apertum coram omnibus demonstrabit, qui omnibus aliis evidentiore, et irrefragabilior testis erit, cunctisque, et ipso Judice tacentibus, id est, si tacerent, quin imo si pro ipso testimonium perhibere possent, et vellent, ipsum impium nihilominus condemnabit. S. BERN. loc. cit. c. XXXI.

Propter sententiæ severitatem; nam omnes perituros se absque ambiguitate sciunt, si remota pietate judicentur; hoc ipsum, quod juste videmur vivere, culpa est, si vitam nostram, cum judicat, hanc apud se divina misericordia non excusat. S. GREG. I. VIII Mor. c. xv. S. Bonaventura hac in sententia sex notabiles considerat circumstantias: Primo, *Separationem a Deo*, cum dicit: « Dissedite. » Secundo, *Maledictionem*: « Maledicti. » Tertio, *Incarnationem*, per hanc propositionem *In designatam*. Quarto, *patne acerbitatem*: Ignem. Quinto, *Liberationis desperationem*: Aeternum. Sexto, *Dæmonum associationem*: Qui paratus et Diabolo, et Angelis ejus. Hinc S. Bernardus exclamat: O infelix discessio, et separatio ab omnibus bonis! O verbum pertingens usque

ad divisionem animæ a summo Deo, compagumque et medullarum, et interiorum cordis et corporis concussivum! O radiatio universorum malorum, cum nemo possit a Deo divelli, quin malis omnibus repleatur. S. BER. tom. I. ser. XII, a. 3, c. II.

Propter sententiæ irrevocabilitatem; nam tempus flendi durat, quamdiu cœli moventur; at vero quando ad æternitatem pervenerimus, tempus non erit amplius; tunc enim Deus lacrymas, et preces nostras deridebit, quantumcumque illas humiles et ferventes fuerint. *Vocavi*, inquit Deus, et renuistis; *extendi manum meam, et non fuit, qui aspiceret*; *desperaxisti omne consilium meum, et increpationes meas negaxisti*; ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsmabo. Tunc invocabunt me, et non exaudiam, eo quod timorem Domini non susceperunt. Salvianus super verba illa Ecclesiast. cap. XXX. *Miserere animæ tuæ*, scribens, his animam verbis affatur: Vide pietatem erga te Domini nostri; vide, quam misericors sit Dominus Deus noster, qui nos ipsos pro nobis misericordiam rogat: *Miserere*, inquit, *animæ tuæ*, hoc est dicere, miserere etiam illius, cujus vides miseratione me tangi. Rogat te, ut tu miseraris, et non vis; causam tuam apud te agit et ad te non admittitur; dignatur te pro te petere, et a te non potest impetrare. Et quomodo, quisquis es, o miserimè homo, quomodo te postea supplicante ille in iudicio suo audiet, cum tu hic eum pro te rogantem audire ipse noleris? SALVIAN. l. III, ad *Ecl. Cath.* Hinc et Sanctus Bernardus: Aretæ, inquit, et strictæ erunt tunc viæ omnium peccatorum, quando non poterunt negare, non excusare, non appellare, non fugere, non impetrare veniam, non habere refugium. Omnes enim viæ præoccupatæ erunt, contrahentur in angustiis suis. S. BERN. s. LIV. in *Cant.*

MEDIA.

Ad Iudicii sententiæ malam evitandam.

Passio Christi; cujus efficaciam B. Philippus Benitius, Religiosis Servorum B. Virginis fundator, ac sanctitate et miraculis illustris, expertus est, de quo in vita illius legitur, ipsum in agone mortis sue terribilem quandam habuisse visionem, in qua sibi se coram tribunali Dei presentari videbatur, ubi Dæmon leves nonnullos defectus ei imprope-

rabat, ut eum ad desperationem induceret. Unde altum inclamare cepit terrificis verbis, a circumstantibus suum postulandum librum: Date mihi librum meum, exclamabat, quaerito illum. Quis illum mihi sustulit? Cur me eundem auferendo, cruciatis? Accurrerunt igitur omnes et singuli certantes, derederunt ei alius hunc, alius illum librum, nec tamen ei satisfacere valentes, unus suorum illum oculos suos ad parvulum crucifixum frequenter dirigere observavit, quasi indicare volendo, hunc esse suum librum, quia eundem frequentissime in manibus suis portare solitus erat. Ideoque hunc ei crucifixum in manus dedere, moxque pristinae serenitati mentis integre restitutus fuit; unde credere licet, sanctum hunc virum Christo crucifixo addictissimum, ad Apostoli imitationem dicere solitum fuisse: « Non iudicavi me scire aliquid, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. (Vita, c. III et VI). » Hinc recte Sanctus Augustinus: Si haberes, inquit, causam apud aliquem iudicem agendam, et instrues advocatum, esses susceptus ab advocato, ageret causam tuam, sicut posset, et si non illam finisset, et audires illum in iudicio venturum iudicem, quantum gaudeas, quia ipse potuit esse iudex tuus, qui fuit paulo ante advocatus tuus? Et modo ipse pro nobis orat, ipse pro nobis interpellat, qui in illa die nos iudicabit. S. AUG. s. CXIX, de *Temp.* c. I.

Vita et conscientia bona; uti S. Ambrosius suavit, dicens: Ubi me ab ira ejus abscondam, qui conturbat profundum maris? « Si ascendero in cœlum, ibi est, si descendero in infernum, adest; » non ergo falli potest, qui ubique est. Adest itaque iudicii dies. Si vis non comprehendi, quotidie time, quotidie fuge. Queris, quomodo fugias? Ascende in montem, qui evangelizas Sion, ut excelso vertice possis eminere meritum, Deus enim montium, et non vallium est. (S. AMBR. lect. VIII, in c. XVII *Luc.*) Sed et S. Augustinus: Custodi, inquit, intus innocentiam tuam, ubi nemo opprimit causam tuam. Prævaluit in te falsum testimonium, sed apud homines, numquid apud Deum valebit, ubi causa tua dicenda est? Quando Deus iudex erit, alius testis quam conscientia tua, non erit. Si causam malam non habueris, nullum accusatorem pertimesces, nullum falsum testem retelles, nullum verum requires, tu tantum bonam conscientiam affer, ut possis dicere: Quoniam in te,

Domine, speravi, tu exaudies, Domine Deus. S. AUG. in *Ps.* LVII.

Spes et fiducia in misericordia Dei; de qua Sanctus Thomas Villanova sic loquitur: In hoc iudicio omnia terrent me, omnia me conturbant, valeo sine timore nimio hujus tanti Iudicii naqueo recordari; sola hæc mihi relicta est consolatio, Domine mi, quia criminum meorum tu solus futurus es Iudex, tu inquam, Redemptor meus, Advocatus meus, Pater meus, tota spes mea, et totam bonum meum et solatium. Quem in finem etiam S. Paulus dixit: « Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato. » Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus, in auxilio opportuno. Unde merito citatus S. Thomas Villanova exclamat: Quanta hominibus fiducia? Quanta mortalibus spes in Iudice isto? Quis non sperabit salutem, etiam si peccator sit, et indignus, quando a Patre piissimo ejus sententiæ ferenda est! Unde Apostolus: « Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat, quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui resurrexit, qui est ad dextram Dei, qui etiam interpellat pro nobis; » Quomodo condemnabit interpellator, qui, ne damnaret, ipse mortis subit damnationem? quomodo Salvator damnabit, qui morte redemit? S. THOM. VILL. conc. I, in *Dom. I Advent.*

Frequens contritio et confessio. Ita Sanctus Bernardus variis, dicens: Unum est tamen, si nosmetipsos iudicaverimus, non utique iudicabimur. Bonum iudicium, quod me illi districto, divinoque Iudicio subducit, et abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei vivens (S. BERN. s. LV, in *Cant.*) Et iterum: Iudicemus interim, Fratres, et terribilem illam expectationem presentis studentium declinare iudicio. Non iudicabit Deus bis in idipsum. (Id. s. VIII, in *Psal. Qui habitat.*) Sed et S. Gregorius: Iudicemur inquit, in nostra cogitatione cum Deo, ne directe postmodum iudicemur a Deo. (S. GREG. l. IX, in *Diet.* IV, ep. XXV.) Nam ut S. Thomas Villan. recte advertit: Secundum iudicandorum conscientiam, Iudex in se unus, variis apparebit, probis Agnus, improbis Leo. Quo quisque districtior fuerit in se ipsum peccatorum vindex, eo illi mitior tunc apparebit Iudex. Felix, qui dicere

poterit in illo die: Feci iudicium et justitiam, Domine, non tradas me calumniantibus me. Iudicium facit contra se, qui se reum agnoscit, et confitetur, et iudicat. Iustitiam facit, qui peccata, quæ sententia damnat, penitentia punit. (S. THOM. VILL. conc. I, in *Dom. I Advent.*) Hinc et Rupertus Abbas illa Prophetæ Michææ verba: « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te; utique facere iudicium; » explicans, ait: Quid est iudicium facere, nisi iudicium Dei prævenire? Prævenis autem iudicium Dei, si temetipsum prior iudicaris in conspectu Dei, ne a Deo iudicaris. (RUPERT. ABB. l. VIII, de *Oper. S. Spir.* c. XXI.) Merito ergo S. Augustinus hortatur: Modo tu fac, quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te a tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans a facili tuis, et constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ. Esto tibi iudex; torqueat te timor, erumpat te confessio. Et die de tuo: « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum ante me est semper; » quod erat post te, fiat ante te, ne tu ipse postea a Iudice fias ante te, et non sit, quod fugias a te. Qui enim se conterit, ait idem alibi, irascitur sibi; se habeat iratum, ut illum habeat propitium; se habeat iudicem, ut illum habeat defensorem. S. AUG. in *Ps.* XLIX.

Vigilantia sollicita; uti idem S. Augustinus suavit dicens: Vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum invenerit suæ vite hujus ultimus dies. (Idem ep. x.) De quo ultimo die citatus S. Doctor sic dicitur: Longe est quidem dies Iudicii, sed uniuscujusque hominis dies ultimus longe esse non potest, quia brevis est vita, et quia ipsa brevis semper incerta est; quando sit dies tuus ultimus, nescis. Idem, s. XVI, de *Verb. Dom.* c. IX.

Conciliatio Patrum; nam, ut Mansi ait, dum litem habes, in qua omnes facultates tue, fama, et estimatio, vel vita periclitatur, die nocteque studes et laboras, ut defendere te possis, omnes explores in favorem tuum servientes scripturas, ut procuratores, advocatos, iudices bene informes, ejusque, qui sententiam est pronuntiaturus, gratiam et benevolentiam captare pro viribus niteris. Quid igitur tibi in hoc tribunali Christi faciendum erit, ubi causa tua